



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Q. 2. An qui alterum læsit in bonis supernaturalibus, tenetur ad aliquam
restitutionem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

injustè lædatur in bonis animæ, sicuti in bonis corporis. At talis injustè lædit; nam quisque habet jus, ne decipiatur in suis bonis, & ne vis ei inferatur sine justa auctoritate, quæ nequit esse ad peccatum, & errorem. Ergo tenetur causam damnorum, quam injustè posuit, tollere, & omnia damna jam ex ea secuta restituere. Hinc qui prava dogmata docuit, tenetur revocare, & quantum potest disseminatos errores ex animis evellerè, etiam cum damno vitæ.

Resp. II. Ex communi qui sine vi, metu, fraude, & deceptione alium in peccatum induxit, non tenetur ei ex justitia ad restitutionem, nisi sit Prælatus, vel alius, qui ex officio tenetur promovere bonum spirituale suorum: quia ubi non est vis, nec fraus, nec deceptio in inductione, nec culpa contra officium, injuria non est, quippe quæ scienti ac sponte volenti fieri nequit. Talis tamen tenetur ex charitate, plusquam alii, curare ut alter convertatur; nam charitas & æquitas exigunt, ut is, qui malo suo exemplo vel consilio alium pervertit, curet præ cæteris, ut convertatur. Si quis tamen etiam solo consilio, vel precibus induxisset alterum in peccatum injustitiæ contra tertium, peccavit contra justitiam: nam inducens peccat contra virtutem, cui opponitur peccatum, ad quod inducit, & in defectum inducti tenetur ei tertio de damno, quilibet enim habet jus, ne quis positivè
coope-

cooperetur ad ejus damnum, sine ejus consensu, vel sine justa causa, & auctoritate.

Q. 3. *An qui avertit aliquem à Religione, tenetur ad aliquam restitutionem?*

Resp. I. Qui vi, metu, calumniâ, fraude, mendacio, aliôve modo injusto impedit, vel avertit aliquem à Religionis ingressu, aut professione, peccat graviter contra justitiam, & tenetur vim, ac fraudem tollere, & ei suadere ingressum, seu reditum, & Monasterio compensare, quanti valebat spes commodi temporalis, quod ex ipsius donatione, labore, ac industria expectabatur, si injustè abductus non fuisset. *Est communis.* quia utrique fecit injuriam damnosam; nam quisque habet jus strictum, ne viâ injustâ bonum eius impediat. Talis tamen seductor non tenetur ipse Religionem ingredi: tum quia fortè non est aptus; tum quia status Religionis, cùm sit status perfectionis, requirit Dei vocationem, & nullus ad illum, nisi spontè volens, admitti debet.

Resp. II. Ex communi, qui alterum sine vi, fraude, mendacio, aliâve viâ iniustâ, sed sine iusta causa avertit à Religionis ingressu, vel professione, non tenetur ad restitutionem; quia nemini fecit injuriam. Sed peccat contra charitatem, retrahendo eum sine iustâ causâ à maximo bono, & constat, ex *Trident. sess. 25. cap. 18.* ubi excommunicat. *Eos qui san-*